



Disputatio juridica inauguralis de donationibus

<https://hdl.handle.net/1874/343789>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
DONATIONIBUS,

QUAM
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academia Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

ADRIAEN SEYLMAKERS, FLESSING.-ZEL.

Ad diem 27. Junii horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō loc XCII.

Amplissimis Nobilissimisque

V I R I S,

D. D. PETRO VAN HECKE,
J. U. D. In Confessum Celsissimorum &
Præpotentum D. D. Ordinum Genera-
lium foederati Belgii Delegato ordi-
nario, nec non Guilielmi III. Britan-
norum Regis Flessingæ Quæstori fide-
lissimo; ut & Societatis Indiæ Occi-
dentalis Præfecto, avunculo ac tutore
suo digna semper reverentia observan-
do, honorando

D. D. CASPARO VAN HECKE,
Reipublicæ Flessinganæ Consuli dignif-
simo, bonorum sacrorum Walachriæ
Quæstori vigilantissimo, avunculo di-
lectissimo, in æternum colendo

*Disputationem hanc suam Inaugu-
ralem, ut & se ipsum*

offert, & dedicat.

ADRIAEN SEYLMAKERS,

AUCT. & RESP.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

DONATIONIBUS.



X modis acquirendi ex jure civili, qui sunt vel universales ut hæreditatis additio, vel particulares ut usucapio, donatio, legatum, cæteris missis, donationis materiam, exercitio hoc inaugurali pro tenuitate ingenii tractare animus est. Ut ergo metam mihi propositam melius attingam, non abs re fore puto, si in ipso hujus legali exercitii limine, quid sit donatio, & quotuplex, dixerim.

THESIS I.

Donatio, quæ dicta est à donando, quasi dono datum *l. 35. §. 1. ff. de mort. caus. don.* potest definiiri quod sit liberalis in aliquem nullo jure cogente facta collatio *l. 1. l. 9. ff. h. t. generis loco pono collationem*, quia non nisi figuratè *contractus* posse poni tanquam genus donationis mihi videtur. A doctoribus

A 2

ribus

4 DISPUTATIO JURIDICA

ribus dividitur in propriam, quæ ex mera liberalitate donantis fit, nullam aliam ob causam, quàm ut munificentiam suam exerceat *d. l. 1. ff. h. t.* & impropriam, quæ fit ob aliam aliquam causam impulsivam; cujus exempla sunt Dos, Donatio propter nuptias, Donatio remuneratoria, Donatio mortis causa, &c.

I I.

Donatio propria jure veteri perfecta non erat, neque ex ea potestatem agendi quis habebat, nisi vel res ipsa tradita esset *l. 3. §. 1. ff. de oblig. & act. l. 6. ff. h. t.* vel saltem stipulatio intercessisset *l. 2. Cod. de evict. l. 2. l. 17. ff. h. t.* ex nudo enim pacto non dabatur actio *l. 17. ff. de pact.* Sed Imperator Justinianus jure novo Donationem puram etiam solo pacto, vel nuda voluntatis manifestatione valere, Donatoremque ad rem donatam tradendam cogi posse actione personali, seu condictio-
ne ex *l. 35. §. 5. Cod. h. t.* statuit. Perficitur itaque donatio propria jure novo libera voluntate domini donantis, & acceptione donatarii. *l. 19. §. 2. l. 10. ff. h. t.* libera voluntate donantis, quia nemo invitus donat *l. 18. ff. de adimend. vel transf. leg.* acceptione donatarii, quia, nisi is donationem acceptaverit, donatio non valet, nam nolenti non potest liberalitas acquiri *d. l. 19. §. 2. ff. h. t.* voluntatem autem suam declarare possunt vel scriptis vel sine scriptis *§. 2. inst. h. t.* sed quam maxime ipsa rei traditione, sive vera sive ficta, nempe traditis rei donatæ instrumentis *l. 1. Cod. h. t.* vel stipulatione *d. l. 1. ff. h. t. l. 22. eod.* denique etiam pacto *l. 35. Cod. h. t.*

I I I.

Donare possunt omnes qui verum & plenum rei dominium, ejusque liberam administrationem habent. *l. 21. Cod. de mand. suæ enim quisque rei moderator est & arbiter l. 12. Cod. h. t.* etiam mutus & surdus donare non prohibentur. *l. 33. §. 2. ff. h. t.*

I N A U G U R A L I S. §

h. t. Sic etiam nec uxor absque consensu mariti *l. 6. Cod. de revocand. donat.* non potest autem donare mente captus *l. 23. §. 1. ff. h. t.* pupillus & servus *l. 28. §. 2. ff. de pactis.* Prodigus cui bonis interdictum est *l. 6. ff. de verb. obl.* uti nec filiusfamilias licet liberam peculii sui administrationem habeat *l. 1. §. 1. que res pign. dar. poss.* non enim ad hoc ipsi conceditur libera peculii administratio, ut perdat *l. 7. pr. ff. h. t.* potest autem donare filiusfamilias si peculium castrense vel quasi castrense habeat; de iis enim pro lubitu disponere potest *ead. l. §. 5.* iusta etiam ratione motus, aut in dignitate constitutus, nisi ei specialiter donandi facultatem pater ademit, donare posse videtur. *ead. l. §. 1. & 3.* tutores & curatores prohibentur etiam donare res pupilli, & minoris. *l. 16. Cod. de administ. tut.* Sed hic moveri potest quaestio, an reus capitalis criminis possit donare, & quatenus donatio ab ipso facta valeat? Resp. ante crimen commissum propriam & puram donationem valere; non potest enim videre male alienatum ab eo, qui habet liberam rerum suarum administrationem. Improperiam autem donationem, scilicet mortis causa, non valere, docetur *in l. 7. ff. de mort. caus. donat.* neque hoc absurdum, cum enim instar legati non sit perfecta ante mortem donatio ut imperfecta removetur damnato donatore. Post crimen commissum donatio non valet, si condemnatio sit subsequuta *l. 15. ff. h. t.*

I V.

Visis, quinam donare possunt, & quinam non, restat ut videamus quibus donare possumus, donare autem possumus omnibus quibus non specialiter prohibemur. Donare prohibentur sibi invicem conjuges. *l. 1. l. 3. l. 31. §. 7. ff. de don. inter vir. & uxor.* suadet hoc enim ratio tum honestatis, tum utilitatis; illa, ne conjugalis amor pretio videretur conciliari; hæc, ne mutuo amore conjuges se invicem spoliarent. Si tamen donatio donantem pauperiorem non reddat, cessat prohibitio *l. 5. §. 8. & 16. l. 25. de donat. int. vir. & ux.* quemadmodum etiam donatio conjugum

6 DISPUTATIO JURIDICA

facta, morte conjugis donantis confirmatur. *l. 32. §. 1. ff. b. t.* denique donatio à patre filiofamil. facta non valet, quia fictione juris pater & filius habentur pro una persona. *l. 4. l. 11. ff. de castr. pecul.* nemo autem sibi donare potest. Si autem pater filio militi in castris eunti donaverit, aut donationem filiofamil. factam morte confirmaverit, donationem valere existimo. *l. 4. Cod. fam. etc. l. 25. Cod. de don. inter vir. & uxor.* ita etiam pater præsumitur donasse filio emancipato peculium profectitium si ante emancipationem non ademerit *l. 31. §. 2. ff. b. t.*

V.

Cum autem donatio sit stricti juris, sciendum est donationem non facile præsumi, sed probandum esse ab eo qui sibi factam contendit *l. 25. ff. de probat.*, nisi in casu *l. 2. §. 1. ff. de pact.* cum nempe creditor debitori suo chirographum reddiderit, hoc enim præsumitur donandi animo fecisse. Qualis etiam præsumptio est *in l. 11. Cod. de Neg. gest. & in l. 13. ff. de R. J.* hoc etiam hic notandum, quod, quoties quis donationis verbo usus est, & dubitatur utrum propria an impropria facta sit donatio, semper pro donatione propria præsumendum sit, & quod ipsi, qui donationem impropriam contendit, incumbat probatio.

VI.

Quod ad res attinet quæ donari possunt, nihil refert utrum sint res mobiles vel se moventes. *l. 1. Cod. h. t.* vel immobiles. Item an sint vel corporales, an incorporales, cujus exemplum habemus *in l. 18. Cod. h. t. l. 2. eod.* modo sint in commercio hominum, & dominio donantis. *l. 20. ff. de acquir. rer. dom.* nemo enim plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet. *l. 54. ff. de R. J.* ideo res aliena donata semper evinci potest, ita ut dominium non acquiratur donatario *l. 14. ff. b. t.* nisi per usucapionem rei donatæ dominium nascus

ctus fuerit, eatenus enim à non domino facta donatio donatario prodest, quatenus in eum transfertur usucapiendi conditio. *l. 2. l. 3. ff. pro donato.* Sed in dubio est, utrum donatio omnium bonorum subsistat? quod affirm. *l. 8. Cod. de rev. donat. l. 35. §. 4. Cod. h. t. l. 5. Cod. de inofficio. don.* modo non fiat in fraudem legitimæ. *d. l. 35. §. 4. Cod. h. t. l. 5. Cod. de inoff. don. vel creditorum. l. 12. ff. h. t.* verum donatione omnium bonorum non contineri futura, nos docet. *l. 7. pr. ff. d. aur. arg. leg.* non valet donatio hæreditatis viventis, ab eo facta, qui se successurum viventi sperat. *l. 29. §. ult. Cod. h. t.* pactum enim de futura successione viventis improbat. *l. fin. de pact.*

V I I.

Cum antea diximus ad perfectionem donationis pertinere traditionem dantis, & acceptionem donatarii, sciendum est præterea aliquando insinuatione opus esse ad donationem confirmandam. Est autem hæc insinuatio inscriptio, seu relatio in acta publica ad majorem fidem & securitatem facta. Sed cum donatio sit actus jurisdictionis voluntariæ, nihil interest, utrum iudex qui aditur sit competens, nec ne. *l. 27. l. 30. Cod. h. t.* neque etiam testes necessarios esse puto; superfluum enim est privatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant. *l. 31. Cod. h. t.* jure enim veteri usque ad tempora Constantini donatio excedens summam 200. solidorum insinuanda erat, ut apparet *ex l. 3. Cod. Theod. & l. 25. & 27. Cod. h. t.* quæ postea aucta est ad 300. *l. 34. Cod. h. t.* denique Imperator Justinianus sua constitutione ad 500 ampliavit. *l. 36. §. 3. eod. Nov. 162. cap. 1. §. ult.* ita ut jure novo donationes intra 500 solidos absque insinuatione valeant. *d. l. 36. eod.* quæ vero excedunt, non nisi ad summam concurrentem *l. 34. Cod. h. t. l. penult. §. ult. Cod. eod.* scilicet si factæ fuerint uno eodemque tempore, si enim diversis temporibus summas minores 500 solidis quis donaverit, ita tamen ut hæc

con-

§ DISPUTATIO JURIDICA

conjunctim donasset 500 solidos excederet, insinuatione opus non est. *d. l. 34. §. 3. Cod. h. t.*

V I I I.

Sunt tamen quædam donationes, quæ licet excedant quingentos solidos, citra insinuationem plenissimam habent firmitatem. Qualis est donatio principi, & à principe privato facta, *l. 34. §. 1. & l. pen. Cod. h. t.* quam tamen donationem à principe in privatos collatam, & è contra Justinianus in *Nov. 52. Cap. 2.* à tabellionibus in publico fieri, & subscriptione donatoris atque testium probare vult. Item insinuatione non indiget donatio à magistro militum militibus facta ob res præclare in bello gestas. *l. 36. §. 1. Cod. h. t.* præterea donatio ad ædes incendio vel ruina corruptas reficiendas huic insinuationi non subjacet *l. ead. §. 2.* quemadmodum nec donatio mortis. *l. ult. Cod. de mort. caus. donat.* neque quæ ad redemptionem captivorum datur *d. l. 36. pr. Cod. h. t.* Quid verò dicendum sit de donationibus quæ ad piam causam respiciunt, an jure novo adhuc aliquo privilegio gaudeant, cum donationis privato factæ *in d. l. 36. §. ult.* etiam ad quingentos solidos auctum sit, an vero jure communi utantur; id est, an illud incrementum illarum privilegio etiam annumerandum sit, dubitari potest, verum mihi negativa sententia amplectanda videtur.

I X.

Cum hætenus egimus quomodo donationes ritè fiant, & valida sint, videndum etiam est quis sit effectus perfectæ donationis. Effectus autem ejus consistit in eo, quod si per traditionem consummata sit, transferat dominium, si res sit propria donantis. *l. 1. pr. ff. h. t.* si res aliena, usucapiendi conditionem *l. 2. ff. pro donat.* si vero solus consensus intercessit, tunc tribuat actionem personalem ex *d. l. 25. Cod. h. t.*
fed

I N A U G U R A L I S. 9

sed si stipulatio, competat actio ex stipulatu, ut res nondum tradita tradatur, §. ult. ead. Nov. 162. Cap. 1. Ex causa tamen donationis donator non potest condemnari, nisi in quantum facere potest. l. 33. ff. h. t. l. 28. de R. J. & quidem ita, ut prius deducatur id, quod creditoribus debetur. l. 12. ff. h. t. nisi quis ex eadem causa sit creditor, inter eos enim quibus ex simili causa res debetur, potior est causa occupantis. l. 19. §. 1. ff. de R. J.

X.

Alter effectus est, quod donatio ritè perfecta non possit revocari l. 1. ff. h. t. ne quidem auctoritate rescripti principis, l. 5. Cod. de Rev. don. saltem regulariter, sunt enim quidam casus; quibus donationes perfectæ & consummatæ rescinduntur, quod fit duobus modis, vel in totum, vel pro parte.

X I.

In totum donationes revocari possunt propter insignem ingratitude, nam ab ingrato donatio tanquam ab indigno auferri potest, in humanum enim est alienas res capere, & deinde frugalitatem irridere donatoris. l. ult. Cod. de revoc. don. causæ ingratitude ob quas donatarius donationem revocare potest, enumerantur quinque in d. l. ult. Cod. de rev. don. 1. Si atroces injurias donatarius donatori dederit. 2. Si manus impias intulerit. 3. Si grave damnum bonis ejus intulerit. 4. Si insidias vitæ ejus struxerit. 5. Si conditiones donationi impositas implere noluerit. Quæ causæ allegari in judicio, & liquidò probari debent ab ipso donatore l. 9. Cod. de rev. don. hæredes autem post mortem donatoris donationem revocare non possunt; iniquum enim est inquietari ullo modo donationes, quas, qui donaverat, non retractaverat, l. 1. Cod. eod. & quemadmodum hæc revocatio non datur hæredibus, ita

B

nec

nec in hæredes. *l. ult. Cod. eod.* verum notandum est hoc tantum in quatuor prioribus causis obtinere; nam quod ad quintam, tam rectè donatarium ab hæredibus donatoris, quam ab ipso donatore ad conditionem adjectam implendam cogi, & si non impleverit, vel ipse vel ejus hæredes donatione privari posse, puto. Hoc enim non spectat vendictam, sed tantum tendit ut conditio adjecta sortiatur effectus, quæ à donatore etiam in gratiam hæredis potest esse adjecta, ita ut non minus hæredis, quam donatoris interfit conditionem impleri.

X I I.

Pro parte revocari potest donatio per quærelam inofficiosæ donationis à liberis ante donationem natis *l. 1. & 2. Cod. de inoff. donat.* item à parentibus *l. 4. Cod. eod.* denique ab omnibus cujus legitima per immodicam donationem læsa est, ad similitudinem quærelæ inofficiosi testamenti. *l. 9. Cod. eod.* verum hac quærela tota donatio non revocatur, sed tantum quoad legitimam. *d. l. 1. 2. 7. Cod. de inoff. don.* dixi liberis ante donationem natis, quia puto ob liberos postea susceptos donationem revocari non posse, nisi in donatione facta à patrono in libertum *l. 8. Cod. de revoc. donat.* non possunt tamen liberi hanc quærelam instituere ante obitum patris, facillimè enim potest evenire ut pater post donationem alia rursus bona acquirat, ex quibus liberi legitimam consequi possunt.



COROLLARIA.

I.

*Perfecta emptione periculum rei vendita
& nondum tradita statim ad Emptorem
pertinet.*

II.

*In omni conjunctione locus est juri ac-
crescendi.*

III.

Donator non tenetur de evictione.

IV.

*Res aliena non potest pignori obliga-
ri.*

B 2

Ju-

V.
*Judex debet judicare secundum acta et
probata.*

VI.
*Eratrum filii , si soli sint , succedunt
patruo in capita non in stirpes.*

F I N I S.



A P.

A P P L A U S U S

Doctissimo Subtilissimoque

VIRO-JUVENI,

D. ADRIANO
SEYLMAKERS,

*Summa cum laude Juridicis defuncto studiis,
inque istarum artium Doctorum cohortem
jamjam recipiendo.*



Rælia qui quondam, fuso feliciter
hoste,

Conseruit, niveis currus eburnus
equis

Hunc vexit merito : & venerandæ semper
ovantes

Virtutis quosvis præmia digna manent.

Clarius hoc unquam quis tē monstrabit
Amice? .

Quem non *Mars* dubius, bella nefanda ciens

Evehit

Evehit ad superos ; ast iusta peritia legum
Te tenet ; ac nomen sic ADRIANE tuum
Ad feros transire parat Doctrina nepotes,
Assiduis studiis, quamque labore tibi
Hauisti : tu namque tenens penetrabilia juris
Fructus insignes, nunc meritosque sapis.
En tibi, Doctorum qui suffragante caterva
Sancta per errasti jura, corona datur!
Accipe, quam lubens Palmam tibi donat
Apollo!
Accipe, quas lauros flectit & *Alma Themis!*

J. D. V.

Phil. Cand.

Tot

Tót Lóf en Eere vanden
HEER mijn HEER

ADRIAAN ZEILMAAKERS,

toen zijn Ed. tot Meester in beide de Rechten
zoude werden aangenoomen.



*E naerftigheid blijft nimmer onbeloond,
Ze word in 't eind met heerlykheid ge-
kroond.*

*Verdiende Lóf begraafd men nooit in 't
duifter ;*

Maar blinkt vol luifter.

*De deugd met vlijt en arrebeid gepaard,
Is 't heerlykft dat men vinden kan op de aard.
Die zig in hunne jeugd tót deugd begeeven,
Dat ze eeuwig leeven.*

*Uw roem en lóf ZEILMAAKERS leev altoos,
Hier tijdelijk en naamaals enddeloos ;
Wyl ge onvermoeid in 't jeugdigft van uw leeven,
Naar deugd wild streeven.*

*Men ziet uw heeden op den hoogften trap,
Gesteigerd van de deugd en weetenschap ;
Men ziet vrouw Themis uwen kruin versieren ;
Met Louwerieren!*

Zy

*Zy wijd u in konstrijke Jongeling ;
Met lóf en eer , tót elks verwondering !
Zy loond uw' deugd' met zo veel' pronk-sieraaden!
Betree haar paaden.*

*En volg haar in gerechtigheid ; o Zoon
Van Themis en Minerve ! Ontfang uw loon
Na zo veel' moeite en arrebeid verkreegen :
Zie hier de zeege!*

*Zie hier uw' deugd en onvermoeide vlijt
Geloond ; in 't eelste en bloeyenst van uw tijd.
Ei ga zo voort van deugd tót deugd bestendig :
Dus leesd ge onéndig!*

S. V. H.

